

**A** Liquot annotationes ex Indicibus  
Bibliorum typis Rob. Stephani ex-  
cutorū annis Domini. 1528. 1532. 1540. 1546.

*De sacramento Eucharistiæ.*

*Annotatio,* Caro Christi, panis cibús-  
que est quem dat Christus ad manducan-  
dum, non vt Iudæi intelligebant, sed Spi-  
ritu credendo eum satisfecisse pro pecca-  
tis nostris, vt vitam æternam haberemus,  
Iohan. 6. f. 53. Manducare carnem Christi  
& bibere eius sanguinem, nō intelligen-  
tes aliqui ex discipulis eius esse Credere  
quòd carne & sanguine ipsius redēpti su-  
mus, sed iuxta Iudæorum intelligentiam  
intelligentes, scandalizantur, & recedunt  
ab eo, Iohan. 6. f. 60. Panis vitæ caro Chri-  
sti, quam dat nobis ad manducandum,  
credendo quòd eam dedit crucifigēdam  
pro satisfactione peccatorū, Iohan. 6. f. 51.

*Censura,* Hæ tres annotationes, qua-  
tenus tacent verā & realem & sacramen-  
talem corporis & sanguinis Christi sum-  
ptionem, de qua Iohānes maxime loqui-  
tur, sunt hæreticæ, & cōspirant sacramen

p. j.